Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed & Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima & pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

III. Consolatio ægri amici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

Visual Library

Ideo ſacra Scriptura vocat afflictiones momentaneas & leves, polliceturque pro iis *æternum gloriæ pondus*. Ut enim in diverſorio malo morantes modeſtius quidquid adverſitatis objicitur toleramus, propterea quòd citò deſcedere cogitemus, & meliora ſperemus: ita cùm in hac vita affligimur, animus hac ſpe obfirmandus eſt, brevi ſecuturam tranquillitatem. *Tertiò*, quia facilius eſt ferre res adverſas, quàm ſecundas: cum rarum ſit in proſpero rerum ſucceſſu non efferri. Hinc verſiculi iſti:

οὐχ ἧττον χαλεπὸν καρτερῶς καλὰ ἢ κακὰ πάσχειν,

Aut

πολλάκι καλὰ κακῶν ἀνέχειν χαλεπώτερον ἐστί.

Non minor eſt virtus bona, quam mala ferre modeſtè.

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut hanc conſolationem altiſſimè animis infigant, & non ſolùm vera pœnitentia omnes calamitates avertant; ſed & SS. Euchariſtia, ſeu communione, ipſum gratiæ auctorem continente, ad eas ſuſtinendas ſe roborent, muniant, & confirment.

III. CONSOLATIO ÆGRI amici.

Cic. li.1. ep.5. lib.3. ep.20. lib.4. ep.1.3. 5.13. lib.5. ep. 16. 18. lib.6. ep.1.4.22. lib.4. ep.5. lib.5. ep.18 li.6. ep.2.17. lib.7. ep.16. Ier.48. v.16.

EXORDIUM *conſtabit* ἐν τοῖς ἔξω τῆς συμπαθείας, ſeu ſignificatione doloris, mœroris, & luctus ex amici morbo percepti, & modeſta virium, atq; ingenii tui in conſolando extenuatione.

PROPOSITIO habebit προτροπὴν ſeu adhortationem, ne ægrè nimis moleſteque morbum ferat.

In CONFIRMATIONE adhibebis argumenta, quibus æger adduci poſſe ut videtur, ſeſe colligat, atque erecto infractoque animo morbum ferat.

Primum ſumes à cauſa efficienti, & auctore morborum Deo, qui eos bono fine immittit, ut vitam noſtrám

ſtram corrigamus. Atque hinc fieri dices, ut morborum aliarumque afflictionum expertes, in ſuis peccatis obdurati maneant, quòd exprobrat B. Jeremias Moabitis, docens ideò illos in ſceleribus perſtitiſſe, quod nunquam, ut filii Iſrael, captivi abducti ſint, aut cum adverſa fortuna conflictari.

Secundo ab effectis ſeu fructibus morborum: Nam *Primò* deducunt hominem in notitiam ſui & Dei. *Secundò* præſervant à peccatis. *Tertiò* augent ſi patienter tolerentur, gratiam & meritum: *Quartò* ſimilem Chriſto & Sanctis efficiunt. Chriſtus enim apud Eſaiam *Vir dolorum* dicitur, quia noſtros *Cap.53.v.3.* languores & infirmitates tulit. *Quinto*, ſupplent voluntariam ſatisfactionem pro peccatis. Hos fructus ſpectans *S. Petrus* Apoſtolus, noluit propriam filiam *S. Petronillam* cum febri conflictantem ſanitati reſtituere, ſciens illi id prodeſſe ad ſervandam virginitatem. Cùm enim quidam valdè mirarentur, cur cùm alios etiam ſola umbra curaret, non idem beneficium præſtaret filiæ, curavit quidem illam ad tempus, juſſitque diſcumbentibus miniſtrare, ſed miniſterio peracto, voluit eandem ad lectulum redire. Eadem de cauſa *Benjamin Eremita*, cùm ſola oratione alios infirmos curaret, noluit tamen ſeipſum intercutis morbo *Trip. lib.2.* laborantem curare, rogabatque eos, qui ſui miſe- *cap.2.* rebantur, ut non tam corporis, quàm animæ curam gererent, veniamque à Domino exorarent peccatorum, quæ ſanus commiſiſſet; itaque quòd peccator foret angebatur, quòd æger nihil. Eodem pertinet, quod in *S. Thomæ, Cantuarienſis* Archiep. vita proditum eſt, quendam valetudinis recuperandæ cauſa ſepulchrum eius adiiſſe, votique compotem factum. Deinde dubitare ſecum cœpiſſe, num ſanitas æquè ac prior morbus ad animæ ſalutem profutura eſſet, itaque ad ſepulchrum Martyris rediiſſe, petiiſſeque ſi ſanitas non pro-

 deſſet,

deſſet, in morbum priſtinum recideret, atque re-
Vit. Patr. cidiſſe. De *S. Romito* Eremita legimus, cum quotannis gravi morbo tentaretur à Deo, doluiſſe, quòd uno anno liber eſſet, atq; ſi à Deo, tunc deſertus fuiſſe.

Tertium ab exemplis Sanctorum, qui morbos etiam graviſſimos patienter ſuſtinuerunt. *S. Iob* toto prorſus corpore tabidus & putridus, & à planta pedis usque ad verticem capitis fœdo ulcere
1. confectus, & ſuper hæc teſta ſaniem radens, & ſe-
cap.1. dens in ſterquilinio, licet amicorum uxorisque convitiis valde exaſperatus eſſet, nullum impa-
cap.2. v.19. tientiæ ſignum dedit, ſed dixit: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus? Affligens me dolore non parca, &c. Paula Romana*, teſte Hieronymo ad Euſtochium, cùm febri laboraret, & ſtomachi cruditate cibum non digereret, ut mo-
2. dico vino uteretur, nec medicorum placitis,
Hier. 2. ep. 27 nec Religioſorum ſuaſibus, imò nec S. Epiphanii (quem Hieronymus ſubmiſerat) impelli potuit, nolens ab vitæ monaſticæ inſtituto ne in ægritudine quidem declinare: multo enim tempore aquam bibens, magis expavit vini guſtum,
3. quàm infirmitatis periculum *S. Ægidius Athenien-*
Surius. *ſis*, è ſtirpe Regia ad Rhodani oſtia ſolitarius, cùm à venatoribus Regis Francorum ſagitta incertum miſſa ſauciatus eſſet, non modò medicinam corpori admittere noluit, ſed etiam Deum oravit, ne læſa caro ſanitatem reciperet, ut corporis dolor longius ab animo arceret cogitationes volu-
4. ptatum. *Servulus* mendicus toto vitæ tempore
l.4. Dial. cap.14. & Hom. 15. in Evang. paralyſi laborans, authore B. Gregorio, ita ut in lectica jacens omnino ſe commovere non poſſet, ſemper in doloris acceſſionibus Deo gratias agebat, & hymnos decantabat; quare & moriens Angelorum recreatus concentu, & mortuus odore ſuaviſſimo domicilii locum complevit.

Gallæ

Galla Romana, Symmachi conſularis viri filia, 5.
teſte eodem Gregorio, cùm intra annos puellares, marito viduata, ægrotaret, corpore toto in tabificam ſcabredinem verſo, medicis ajentibus morituram, niſi conjugium iteraret, vel mentum piloſum viri inſtar habituram, neglexit medicorum conſilium, potius quidvis pati parata, quàm nubere. Mamillam deinde ulceribus plenam ita toleravit, ut morti proxima, apparente ſibi B. Petro Apoſtolo, non ut curaretur rogaret, ſed an ſibi dimiſſa eſſent peccata. Quæ dimiſſa audiens, plus ex hoc conſolationis cœpit, quàm ex morbo doloris. *Hildegardis* virgo nobiliſſima Bin- 6.
genſis, licet morbis continenter vexata in lecto decumberet, ipſius mortis imago, tamen mirandis claruit viſionibus futurorumque prædictionibus, omneſque ægrotos tum ad ſe venientes, tum etiam abſentes (in ſomnis eis apparens) ſanitati reſtituit.

4. Dial. c. 13. Vide Ducem peccatorum P. Lud. Granatenſ. l. 1. part. 2. c. 24.

Sur. 17. Sept. Cic. l. 1. ep. 6. lib 4. ep. 5. l. 6. ep. 2. 4. 5. 10. 13. 14.

EPILOGUS *conſtabit adhortatione ad animi magnitudinem, & fugam peccatorum*, cùm Scriptura ſacra doceat, peccata noſtra plerumque morborum cauſam eſſe, ſeu morbos non omnes à natura, vel à vitioſa victus ratione ortum ducere, ſed ſæpè eſſe peccatorum noſtrorum flagella (*Hebr. 12. v. 6. 1. Cor. 11. v. 30.*)

Hic in c. 9. Matt. Paralytico; Remittuntur tibi peccata. *Ioan. 5 v 14.* Noli amplius peccare.

IV. CONSOLATIO IN DAMNO rerum temporalium.

IN EXORDIO *referes ex Herodoto:* Cùm Rex Xerxes ſpectaret è lapide ſuas copias terreſtres & claſſes, & tandem ob nimiam fortunæ inſtabilitatem & rerum humanarum fragilitatem lacrymans diceret, reputanti ſibi, quàm brevis eſſet omnis vita humana, ex gravi commiſeratione à ſe effuſas eſſe lachrymas, quod nemo ex tot fortiſſimis viris poſt centeſimum annum ſuperfuturus